







ΓΑΜΗΛΙΟΝ  
NOVIS NUPTIIS  
Ornatissimi, Virtute & Humanitate  
præstantis Viri, DN.

SIMONIS LEH.  
MANNI SPONSI,

et  
*Pudicissimæ Virginis*

ELISABETHÆ  
Prudentissimi & Ornatissimi Viri  
DN.

CASPARI RINWALDI p. m.  
relictæ filiæ SPONSÆ;

*Gubena pridie Calendas Februarij  
celebrandis,*

GRATULATUR  
FRIDERICUS RINWALDUS  
SPONSÆ F.

ANNO  
M DC XXIII.

*Francofurti*  
Typis MICHAELIS KOCHII  
exscriptum.



SIMONIS LEH  
MANN STONER

FRIDRICH WILHELM ADLER



Hactenus vitare quidem jugale  
Fœdus optâsti, viduoq; frigens  
In toro corpus posuisse frustra  
SPONSE cupisti;

Hactenus multū Veneris fugasti  
Tela : sed frustra : Veneris ne prolem  
Spernere ausus tu fueras ? id ille  
Ferret inultum !

Corripit nudus puer hic pharetram,  
Atque confestim celeres sagittas  
Fundit, & tales lepido refundit  
Ore loquelas:

Falleris dum tu cupis acris ætus  
Blandulos matris Veneris fugasse,  
Et toro exoptas posuisse semper  
Membra relicto.

Vincitur nostro imperio quod usque est  
In polo celso, inq; solo, saloqve  
Littoris, nec quid nocuit vel ulli  
Imperium illud.

Ipsè cum jactem celeres sagittas  
Non fero vulnus, miseros Averni  
Regna quod cogat tenebrosa adire :  
Ne trepida ergò.

A 2

Quaeso

Quæso ne quicquam trepida, juventæ  
SPONSE flos: nec tu fuge, SPONSA blanda,  
Tela, ne cuiquam nocitura mitto;  
Credite dicto.

SPONSE sed dulcis cape telum amoris,  
Dextra quod vibrat mea: SPONSA telum  
Dextra quod vibrat mea per medullas  
Altius intret.

Urat hic ignis, penetretque in imi  
Cordis anfractus, nec enim nocebit  
Sed dabit largam simul hinc suavis  
Flammulam amoris.

Ergò mi SPONSE hoc tale facite amore  
Osculo SPONSAM recrea suavi;  
Et fove pari quoq; SPONSUM amore  
SPONSULA dulcis.

SPONSA lenito querulos dolores  
Voce jucunda, stimulos malorum  
Dexterâ promptâ extrahito, juvamen  
SPONSULA SPONSI.

Dixerat: dicto magis atque verbo  
Cedit in auras celer hinc Cupido,  
Liquit & terras, remeatq; clarâ  
Matris in aulam.

At!

At! viden' ? S P O N S U S comitante gaudens,  
Templa cōscendit procerum caterva :  
Et gerens summo capitis coronam  
Vertice pulcram,

Cincta formosis sequitur puellis  
S P O N S A, fulgenti decorata amictu :  
Firmat hinc junctis manibus Sacerdos  
Fœdera lecti,

Advolant largis dapibus cibusque,  
Ritè qui mensas onerent, struantque :  
Repleant dulci reliqui ministri  
Pocula Baccho.

Exilit plaudens juvenum catervā,  
Et senes, tantum valet ecce Bacchus  
Largior, pulsant pede promptiore  
Nunc quoque terram :

Nam tubæ inflantur, lepidum sonumque  
Tibia effingit teneros modosque ;  
Atque pertusu resonant frequente  
Tympana pulsa,

En simul surgunt placidæ puellæ,  
Post cibos sumtos animisque gaudent,  
Et parant sueto choreas amœnas  
Ducere more,

A 3

En simul

En simul surgunt juvenes & inde  
Eligit quivis numero hoc sodalem,  
Pervices motant agiliq; crura  
Dexteritate.

Interim Phœbus ruit in profundum,  
Atque convivæ repetunt penates,  
SPONSUS optatos thalamos inire  
Optat, inique.

Adsit excelso DEUS ipse cœlo,  
Et novis SPONSIS benedicat: Absit  
Dira quæ lites ferit, orco, Erynnis,  
Nata profundo.

Adsit huic lecto simul & jugalis  
Ardor: ast absint, mala cuncta, turbent  
Nulla suavem conjugij quietem  
Damna, pericla.

Hæc domus longam seriem nepotum  
Cernat, & multos numerare pergat  
Hinc amorum annos, Pyliiq; certet  
Vincere Fatum.



SIMEON



# SIMEON LEHMANN

ἀναγαμαλιθεῖς

HEM! NON LIS, AMEN.

**G**audia (a), Solamen (b), Donum (c) Decus (d)  
atq; Columnam (e)

HEM tibi, Sponse, precor : sed tibi, Sponsa, Vi-  
rum (f).

Insuper & nitidam, sed sedulitate, Coronam (g)

HEM tibi, Sponse, precor : sed tibi, Sponsa, Ca-  
put (h).

NON LIS fecundam, NON LIS rabiosa quietam  
Conturbet Vitem (i), quam precor ipsus. AMEN.

(a) Syr. 26. 2. (b) Syr. 26. 4. (c) Syr. 26. 17.

(d) Syr. 26. 27. (e) Syr. 26. 24. (f) Col. 3. 19.

(g) Prov. 12. 4. (h) Eph. 5. 22. (i) Psal. 128. 3.

accinebar

Johannes Plavius Nehuf, Thyr.

S. S. Theol. Stud.



*Handwritten text at the top right corner of the page.*

SIMEON LEBMAN

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.

Handwritten text, possibly a name or title.



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017







B.I.G.

Farbkarte #13



68

ON  
 P TIIS  
 & Humanitate  
 , DN.  
 S LEH.  
 P ONSI,  
*irginis*  
 THÆ  
 natissimi Viri  
 VALDI p. m.  
 ON SÆ;  
 das Februarij  
 is,  
 TUR  
 NWALDUS  
 F.  
 XIII.  
 ti  
 S KOCHII  
 L.

